

quoque sum ejus Dūcis, quem cæsum in acie lugemus,  
et cujus necem indigna crudelitate vindicare vultis:  
mihi quoque debetur iste captivus, hunc mihi vindico,  
et mei juris esse pugno: si quis illum aliter ac volo,  
attingat, ultorem me habebit. Attonitus hac oratione  
coetus obmutuit: neque quisquam ausus est durius  
quidquam in captivum statuere.

Sic auctoritate sua vir egregius ad miserorum  
salutem utitur: Eandem strenue adhibet ad tuendam  
religionem, cuius tanto studio flagrat, ut Regem Gal-  
liæ hoc nomine plurimi faciat, quod eum [catholicae  
et] avitæ religionis eximium esse vindicem audiverit.  
In Lauretano autem pago strenuam sacerdoti Mif-  
fionis præsidi operam navat. Quidquid edixit Pater,  
quidquid utile communiter fore censem, huic mandat,  
et curandum [atque efficiendum] certo confidit. Ego  
vero nullus dubito quin orationis peculiari dono  
fruatur, ac Deum præ oculis semper habeat: sanc-  
tissimum quidem JESU. nomen in ore semper habet  
ac licet tacitus illud pronunciet, facere tamen non  
potest, quin a prætereuntibus audiatur. En quas  
fruges hoc solum Canadicum efferat! Lætiores  
multo essent atque uberiores, si triplex lolium  
abesset, quod, Gratia Deo, prorsus ex hoc Lauretano  
agro extirpatum est, ebrietatem dico, superstitionem,  
et impudicitiam. Hæc triplex Miffionum nostrarum  
labes quarum ebrietas prima et omnium maximè  
capitalis est. Hæc Miffionem pulcherrimam, cui à  
Saltu nomen factum, profligavit: hæc reliquas evertet,